

unt; hujus enim *Commentaria* longe aliter incipiunt et finiunt, ut conferenti patebit. Non ille *Odo Rigaldus*, seu *Reginaldus* ex *Ord. Min.* factus *Rothomag.* Archiepiscopus, de quo *Oudinus* T. III. col. 449. non enim reperi in Codice L. III. *Dist.* 3. locum illum contra Conceptum Virginis sine macula, quem e suo *Rigaldo* ille profert. Adoptandus igitur erit *Raymundus Rigaldus* O. M. cujus *Commentaria mss.* extare testatur *Waddingus* in Bibliotheca *Conventus Assisi* hoc initio: *Quaeritur, utrum plures sint veritates ab aeterno &c.* Id quod definire Codicis nostri ἀνεφάλας vetat.

DXXV.

R. 495 ille Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 241. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis perscriptus, et coloribus illustratus caret principio, sed in calce legitur longo illo *Diplomatatum* caractere: *Explicit liber quartus Summe magistri wilhelmi de azbornen.* Fateor inauditum mihi hunc Autorem vasti Operis, a quo citari video magistrum *Gisilbertum*, certe non alium, quam *Porretanum*; agitur enim de *Boethii* L. de *S. Trinitate*, in quem extant hujus *Gisilberti* seu *Gilberti* *Commentaria*. Is porro Sec. XII. scripsit, unde posterior est *Wilhelmus* noster, in cujus Cognomine corrupendo fortasse nos ludificatus est *Librarius*. Quidquid sit, L. I. hujus *Summae* agitur de Deo et Di-

vinis, L. II. de Lapsu Angelorum et Peccatis, L. III. de Christo et Virtutibus, L. IV. de Sacramentis, cumque initium L. I. et primum L. II. folium avulsa sint; dabo saltem L. III. initium: *Incipit liber tertius. et primo quaere potius filius fuerit incarnatus quam pater vel spiritus s. Dicto de peccatis quibus homo lapsus est in perditionem dicendum est de reparatore s. de filio dei. hoc ordine procedemus. De incarnatione primo. Secundo de predestinatione christi. tertio utrum christus fuit decimatus in lumbis abrahe &c.* L. IV. extrema sunt: *que preparauerit deus his qui diligunt eum. Illa gaudia nobis prestare dignetur ihesus christus dominus noster, qui cum patre &c.* Omnibus Libris adest *Elenchus Capitulorum*.

DXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 520 Folior. 239. 4. commode perscriptus, et rubricis enotatus, sed initio mutilatus hanc praefert fol. 89. clausulam: *Anno Domini &c. (14) 33°. Lectura textualis Reuerendi magistri Hainrici de oyta primi sententiarum.* Evocatus fuit Vir hic *Parisis* ad auspicandas *Lectiones* theologicas *Viennam* ab *Alberto* Duce a. 1379. una cum *Henrico de Hassia*, ut pluribus docetur in *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec. 1. p. 58.* annumque vitae supremum habuit 1397. Natione *Frisus* fuit, celebratus *Tribemio* n. 687. qui praeter alia in omnes IV. *Sententiar. Libros* scripsisse affir-

affirmat Commentarios, quos vidisse se ait *Joh. Eckius* in Epistola ad Episcopum *Eichstad.* citata *Sec. II. Conspect. Univ. Vien. p. 88. carnosissimos.* Interim hoc Codice nonnisi *Lectura* in I. ut jam diximus, continetur, et a *fol. 95.* in III. et demum a *fol. 156. p. 2.* in IV. Prior, ut pariter diximus, ἀκεφαλός nunc ab ingressu *Distinct. X.* orditur his verbis: *2º per modum remocionis dubij magis explanatur &c.* Alterius initium est: *Cum venit igitur plenitudo. Iste est tercius liber in quo Magister determinat de misterio incarnationis et passionis &c.* Ultimae: *Samaritanus vulnerato appropinquans. Postquam in precedentibus libris determinavit de rebus, scilicet in primo de rebus quibus fruentum est &c.* Si carnositas *Eckii* de mole intelligenda sit, alia viderit, quam quidem *Lecturas* praesentes, quas cum Aliorum *Commentariis* in *Petr. Lombardum* hoc *Vol.* relatis comparatas potius *Stricturas* dixeris.

DXXVII.

U. 124 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 253. 4. currente calamo exaratus est juxta Titulum Thecae praefixum: *Lectura Primi Sententiarum M. Petri de Pulka*, sic dicti ab Oppido patrio, alio nomine *Tzach*, Academici nostri in his *Commentariis* saepe memorati. *Lectura* ipsa orditur *fol. 17.* Circa primam *Distinctionem* queritur primo. *Vtrum hoc genus actus libere voluntatis &c.*

Quae praecedunt *Εισαγωγικα* sunt, et quidem capite truncata, in quibus citatur *Gregorius Ariminens.* O. Erem. S. *Aug.* Prior generalis apud nos a. 1358. defunctus. Videntur etiam quaedam deesse in calce. Codicem ex una parte vestit interior membrana fragmentum Precum e quodam *Judaeorum* *קדושה* seu *Rituale* eleganter scripto exhibens.

DXXVIII. Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 136

Folior. 369. f. max. per duas columnas luculente exaratus, rubricis, et praevio Monachi ad librum confidentis iconismo decoratus, multum vero fitu passus, et, ut in fronte, et *fol. 11.* praefert, olim emtus, Collegioque Ducali legatus a *Sigismundo Halbemer de Stranyug* Plebano in *Schöngraben* continet *Lecturam in Librum IV. Sententiar. Petri Lombardi* antecedente proluxa *Tabula*, ad cujus calcem annus 1431. signatus est. Prooemium infit: *In Nomine patris &c. Cum desiderarem vestris caritatibus in aliquo deseruire et id exposuissem venerabilibus patribus Domino nostro abbati et Domino priori visum est eis expedire, ut legam quartum Sententiarum &c.* Repetit mox, *ad Religiosos qui se vite monastice manciparunt*, se locuturum. Noli tamen inde ipsum quoque Monachum habere. *Nicolaus de Dünkelspübl* est, Academiae *Vindob.* celeberrimus Theologus, quem *Nicolaus Seyringerus de Matzen* disciplinae monasticae